



*S. c. 268*

*900 Uhr.*

*J. VII, 891.*

~~*III 40 J. II, 13*~~

*+*

PRORECTOR  
ACADEMIAE HALENSIS

IO. SALOMO SEMLER

SS. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS.

SEMINARII REGII THEOLOGICI DIRECTOR.

REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVMNORVM

EPHORVS.

CVM

DIRECTORE ET SENATV ACADEMICO  
MEMORIAM REDITVS IESV CHRISTI  
E MORTVIS

RELIGIOSE CELEBRANDAM INDICIT.

---

ADIVNCTA EST BREVIS DISPVTATIO

AD LOCVM

2 COR. III, 10 seqq.



HALAE

EXCVDEBAT FRID. AVG. GRYNERT.



agna vis est exemplorum virtutis in utramque partem,  
vt et animum dirigant ad cognitionem eius quod amplectendum fugiendumque sit, et eum molliorem quidem ac languidum ad imitationis firmitatem intendant.  
Sed nunquam maior est atque etiam fructuosior, quam  
in rebus aduersis; quibus eti vacua non potest esse vi-  
ta humana, nec, si possit esse, ista virtutis disciplina commode ca-  
reret: tamen nihil vel optimo cuique difficultius est earum tol-  
erantia, quae sit etiam talis, qualis magnum animum, in primisque  
Christianum decet, vt illam dolorum disciplinam sibi faustam, verissi-  
mique gaudii fontem ducat. Quia in re graue nobis paratum est prae-  
fidium ab exemplis eorum, qui iisdem procellarum fluctibus jaectati,  
non modo aequabilem omnesque contra impetus obscuram constantiam  
obiecere, sed suo etiam exemplo docuerunt, quo sit confugiendum vt  
ad exitus optatos peruehamur. Naturam quidem humanam ita infor-  
matam videmus, vt communis quasi sit animorum humanorum consen-  
sus atque conspiratio, qua sit vt quadam velut commodorum mutatio-  
ne, dando accipiendoque, homines hominibus proficiat, et quem ad  
modum sensu naturali ad aliis commodandum feruntur, ita ex aliorum  
facultatibus, institutione, exemplis, fructum capiant. Quem maxime  
quaerimus, cum aliqua necessitas urget imminetque aduersa tempestas,  
ad quam subleuandam si vel nihil opis in aliis hominibus reperitur, ta-  
men non parum consolatur cogitatio: esse qui in dolorum societatem  
quasi aequi dolendo veniant, itemque qui in simili fortuna versentur.  
Quod si vel sola malorum communitas leuationem aliquam doloribus  
afferre potest: quid futurum putamus, si exemplis aliorum, qui neque  
frangi dolorum magnitudine, neque de spe ac pietate in Deum deiici po-  
tuerunt, ad omne genus virtutis incendamur, in qua una maxima vis est  
ad dolores tolerandos? Sed eorum dolorum, quibus debilitetur et quasi  
molliatur animus, omnino duo sunt fontes: unus in asperitate malorum  
quibus preferendis impares videamur, alter quod incertum sit quem  
sint

sint progressum atque exitum habitura. Iam contra illum praesentis  
 mali sensum vix fortior potest esse disciplina exemplis eorum, qui, etiam  
 molliores nobis, vehementiora mala, vel meditatione, vel consuetudine,  
 vel quod vtraque longe maius est, auxilio DEI, qui nemini immittit  
 supra quam ferre potest, adiuti laeti et agentes gratias constantissime  
 pertulerunt. Quamquam maxima vis est ad acuendos dolores in rerum  
 humanarum incertitudine, ad quam cum accedit animi imbecillitas au-  
 eta pristinorum malorum recordatione et obiecta animo specie futuro-  
 rum, quae etsi non sunt, tamen extimescendo ante, multo etiam gra-  
 vius quam venerint, sentiuntur, nihil tam taerrum atque horribile est quin  
 exspectandum videatur. Quo tempore si animum intentum haberemus  
 in Deum, in cuius manu sunt omnia, quique ita, tanquam pater filii,  
 consulit generi humano ut cum ipsis aduersis rebus et vires ad ferendum  
 det et lactum malorum exitum; illa cogitatio dubitari non potest quin le-  
 vationis plurimum afferret. Nunc ea re nihil difficultius est humanae im-  
 becillitati, quae pressa malorum praesentium pondere, futura quae non  
 cernuntur negligit, venientia praesentibus metitur, magisque praesen-  
 sionis, ad ea quae sentiuntur accommodatae, vanitati, quam Dei san-  
 ctissimis promissionibus fidem habet. Cui malo vitam mederemur mo-  
 do eo, quem sequimur in omni certitudine rerum non adspectabilium  
 quaerenda! quae nascitur e cogitatione rerum similium, quam simili-  
 tudinem animus a rebus perspectis ad eas transferens quae cerni non pos-  
 sunt, facile cuiusuis rei cursum videt atque futura tamquam praesentia  
 sine dubitatione contuetur. Quare profecerit toro, ut dicitur, pecto-  
 re cogitare, quam praesens dei auxilium et nobis et aliis periclitantibus  
 fuerit, ut, hanc diuini solatii memoriam rebus praesentibus adiungentes,  
 animum aduersus dubitationis impietatem roboremus.

Hanc viam ipse Deus, vbiunque nos consolatur in sacris seri-  
 pturis, praemonstravit, magna exemplorum copia proposita, qua ad si-  
 milem constantiam fidemque impelleremur, veluti ad Ebr. XI et XII.  
 Iac. V, 7 seq. I Thess. II, 14 aliisque in locis; ad nos erudiendos ut,  
 quem ad modum PAULLVS loquitur (Rom. XV, 4), per constantiam  
 eorum, quorum exempla laudantur, et consolationem scripturarum spem  
 conci-



*concipere* *mus.* Atque haud scio an nulla in re magis maxima eloquentia, quae a pectore Dei plenissimo ducitur, vbi fuerint sancti viri, quam in commemorando auxilio Dei quod eos aliosque e praeſentissimo periculo eripuerit. Sed eius rei nulum habemus illustrius exemplum Domini nostri Iesu Christi non modo incredibili animi magnitudine in cruciatis tolerandis, eiusque dignitate a Deo inter vehementissimos impetus afferta, sed etiam reuocatione e mortuis, qua Deus eius omninoque generis humani res ad felicissimum exitum perduxit. Quam liberationis similitudinem ipso suo exemplo adumbratam commemorat Paullus 2 Cor. III, 10 seqq. vt ad eandem spem Christianos erigeret; eumque locum hoc tempore, quo resurrectionis Iesu Christi memoria celebratur, breuiter ita declarabimus, vt, quid habeat iste locus ad animos nostros aduersus omnis generis molestiam munierdos, perspicue intelligatur.

Christiani inter Corinthios cum ad primam Paulli epistolam eieſſent quidquid vitiorum apud eos regnauerat, Apostolus alteram ad istos scriptam, qua restitutam felicitatem gratulatur, paene omnem refert ad sui defensionem contra aduersarios, qui multiplici calumnia famae Apostoli detraxerant. Quas quidem calumnias ornasse videntur iniuriis atque casibus aduersis iis, in quos Paullum coniecerat diuinae doctrinæ propagatio; neque enim istos e Iudeis doctores, qui placidam delicatamque vitam traducere malebant quam pati propter Christum (Gal. VI, 12 Phil. III, 19), incredibile est auctoritatem suam a vitae beatitate commendasse, contra miserabilem Paulli conditionem adduxisse in contemnum, qua quidem re aequre alienari a Paullo Iudeos tenebant, atque a Christo propter summae ignominiam vel in cruce suscepſtam. Quidquid sit, ea est omnino plororumque hominum perverſa ſententia, vt, vbi viderint alios perenni malorum impetu jaclari, eos ſive magnorum ſcelerum reos putent, vel Deo in primis eroſos, certe eandem ſive doctrinam ſive vitam amplecti minime velint, vnde tam tristes caſus nasci viderint. Cui inuidiae ita Paullus in hac epiftola occurrit, vt non neget ſe induiſſe ſe in tantas molestias, ſed neque in iis doceat aliiquid turpitudinis eſſe, quin potius laudis plurimum, neque ſe

se earum molestiarum mole opprimi, sed animi intentione et constantia, maximeque Dei praesentis adiumento pressum omnem ponderum de-  
pellere. Qua in re admirari iuuat virtutis Apostolicae magnitudinem! Neque enim ea magnitudo, ut vulgus putat, cernitur in animo vel cor-  
pore ipso bene a natura et ad res magnas siue appetendas siue gerendas  
informato, sed primum in voluntaria conformatione animi ad virtutem,  
quae hoc maior est quo magis ipsam Dei naturam imitando attingit,  
itemque in illa virtute omnibus rebus humanis siue secundis siue aduer-  
sis anteponenda, deinde in omni voluntate et actione ad communem  
vilitatem referenda. Iftius magni animi vestigia in primis impresit Paul-  
lus nobilissimo loco 2 Cor. III, 7 sq. quem quis vel aliquo verae magni-  
tudinis sensu praeditus legerit, quin peccatum sibi incaluisse sentiat? *Habe-  
mus autem hunc thesaurum (Evangeli) in vasis testaceis, ut (quae nos e  
periculis eripuit) magnitudo virtutis Dei, non nostrae, agnoscatur. Undique  
pressi (sumus), nec tamen exanimati; anxi, nec tamen desperantes; vexati,  
nec tamen relieti; deiecti, nec tamen interemti; et quae sunt reliqua oris di-  
vini verba. Nos quidem pro instituto persequemur ea, quae pertinent ad  
Pauli cum Christo e mortuis reuocato similitudinem, suntque subobscu-  
ra atque, ut nobis videtur, a plerisque in alienum sensum accepta.*

Apostolus igitur: *semper, inquit v. 10, mortem Domini Iesu in  
corpore circumferimus, ut et vita Iesu in corpore nostro appareat. (v. 11)*  
Semper enim nos qui vivimus, morti damur propter Iesum, ut et vita Ie-  
su appareat in mortali corpore nostro. Placet enim coniungere vtrumque  
versum, ut uno intellecto alterius intelligatur sententia; nam quod ali-  
quis dixit: Paullum decimo versu de calamitatibus Christi locutum, in  
quibus perferendis Apostoli se viuentis Christi auxilio sustentatos demon-  
strarint, at versu sequente de morte Christi ipsa et spe vitae sempiternae,  
ad quam essent cum Christo peruenturi, propter ea quod v. 10 τὸ σῶ-  
μα, v. 11 σὰρξ θυτὴ i. e. ut ille putat, corpus morti iam traditum com-  
memoratur, id vero argutum magis videtur quam verum, nec ineftid  
quidem in verbis, certe vtroque versu vix quidquam potest vel verbis  
vel sententiis similius esse. Iam prior vtriusque versus sententia pa-  
rum dubitationis habet. Νέκωσιν τῷ Κυρίᾳ Ἰησῷ Paullus ipfe perspicue

explicat, θάνατον διὰ Ἰησοῦν. Atqui θάνατος haud dubie est pro mortis periculo, ut cap. I, 10, atque quod alibi se dicit ναθ' ἡμέρων ἀποθήτουει I Cor. XV, 31, quo nemo dubitar quotidiana mortis pericula indicari, id quidem planissime respondet in nostro loco verbis: *δεῖται θάνατον παραδόμεθα, semper mortis periculo obiicimur*, οἱ Συντεταγμένοι, qui viuimus scilicet dum viuimus, ut fere I Thess. III, 17. Neque audiendus est THEODORVS BEZA, cum veretur ne isti sensu articulus repugner, sitque inanis, et vero etiam, propter additam particulam causalem, non satis apta repetitio superioris sententiae. Nos quidem veremur ut abesse articulus possit, cum vim determinandi habeat, ut Paullus per omnem vitam scilicet dum viuere videatur, se in quotidiano impetu coniecisse dixerit; neque Apostolus sine causa ad eadem reuolutur, aut particula γαλη aliquam superioris sententiae causam continet, sed perspicuitatis causam declarat illam sententiam, quo sensu illam particulam frequentat Paullus, ut, si quis vellet, verba reddere posset: *semper, inquam, nos, dum viuimus, morti damur propter Iesum* h. e. doctrinam de Iesu docendo propagatam. Nam de doctrina ista fere semper in hac epistola *Iesum, Christum, Dominum*, dicit ut v. 5. c. II, 14. 15. III, 16 seq.; haec est iste thesaurus, et quasi depositum (*παραπαταθήκη* I Tim. VI, 20), quem quaque uersum se ferre ait v. 7. sectionis eius quam interpretarum. Per haec, quae diximus, intelligitur quid sit νέφωσις τῆς Κυρίου Ἰησοῦ περιφέρειν. Vbi νέφωσις primum respondet τῷ θανάτῳ, estque plane Ebraeorum πατούσι Psalm. LXXIX, 11, nec maior vis est in νέφωσι pro θανάτῳ posita quam in Φωτισμῷ v. 6. pro φωτὶ, certe τὸ γένος Ebraeorum. interpretes vertunt Φωτισμὸν veluti Iob III, 9. Psalm XLIII, 5; ut facile agnoscatur nimium id esse quod quaerit in ilio verbo MOSHEMIVS (*Cogitat. in N. Foed. locos p. 164 seq.*) cum aliis; Paullus quidem commemorans τὴν νέφωσιν τῆς μήτρας Σαΐρέας Rom. III, 19. utrum emortuum intelligi vult h. e. non aptum pariendo, in quo nulla emphaseos significatio intelligi potest. Deinde, cum mortis pericula circumferri non possint, νέφωσις vel pro signis est horum periculorum h. e. vulneribus, στήματα τῆς Κυρίου Ἰησοῦ dixit Paullus Gal. VI, 17, vel περιφέρειν τὴν νέφη. K. I. vim habet significandi: quod ubicumque locorum, quo Euangelium Apostolus

lus tulerit, in impetus hostium, mortisque pericula incurrerit, fere ut  
I Cor. X, 4. petram dicit Israelitas securam h. e. eos ubique reperisse  
aquam qua sitim restinguenter.

Sed difficultiorem interpretationem habent verba alterius sententiae: *ἴνα καὶ οὐχὶ τοῖς Ἰησοῦς Φανερωθέντεις εἰς τὸ σώματι σ. εἰς τὴν θνητὴν σαρκὶ ἡμῶν*, vbi *σαρξ* dicitur θνητὴ ncn quo mortale sit corpus, qui sensus vt fridus eset ita hic quidem ineptus, aut quod sit mortuum, sed quod mortis periculo obiectum, nam eo sensu ante et *νέκωσιν* et *θάνατον* corpori suo tribuerat Paullus. Iam de his verbis tres fere sententiae ferruntur. *Prima*, eaque plurimorum suffragiis celebrata, quae verba refert ad spem futurae resurrectionis, qua Christo se similem futurum crediderit, vt fuerat in mortis periculo subeundo. *Altera* quam in primis ornavit MOSHEMIVS I. c. (apud OECUMENIVM p. n. 628. male THEODORETO tribuitur) consilium Paulli fuisse decernit in demonstranda vita Iesu Christi, qui, cum in cruce moreretur, non interierit, sed reuersus ad vitam in coelis vitam agat. *Tertia* vitam Christi de vi et efficacia Christi interpretatur qua confirmet Apostolos in ferendis rebus aduersis e periculisque eripiat; quo inclinat CHRYSOSTOMI (hom. 9. in epist. I. ad Corinth. p. n. 591), forte etiam BEZAE, sententia, quamquam vterque fluctuat. Quae postrema eti proxime a veritate abesse videatur, tamen magis placet τὴν ζωὴν interpretari de ipsa conseruacione vitae in maximis, quibus obiecta erat, periculis, quod ζωὴ haud dubie significat Io. III, 51 et apud ipsum Paullum 2 Cor. VI, 9, vt, quem ad modum Paullus τὴν νέκωσιν τῇ Κυρεᾳ Ἰησῷ sibi tribuerat propter similitudinem mortis cum Christo, sic ζωὴν τῇ Ἰησῷ propter ea, quod non magis quam Christus interiisset prorsus, sed creptus e mortis faucibus fuisset. Nam *primum* id ipsa lex disiunctionis suaderet, vbi, cum νέκωσις τῇ K. I. non mors sit ipsius Christi, sed Paulli, nec proprie huīus mors sed mortis periculum: profecto οὐ ζωὴ τῇ Ἰησῷ non potest esse nisi conseruatio Paulli inter media mortis pericula, qua similis Christo erat e mortuis reuiuiscenti. Quod ipsum Paullo propositum est in universo sermonis contexto, vbi et constantiam animi declarat in summis periculis et praesentissimum auxilium Dei, quod in se conseruando agnoscen-



scendum sit, non sua virtus v. 7. itemque post (v. 8.) periculi vim componit cum liberatione perpetua; ut versus eos, de quibus disputatur, apertos cum superioribus et vel sermonis structura copulatos, necesse sit in eandem sententiam intelligi. Tum illa verba v. 12. statim subiecta nostris: ὡς οὐ εἰναι ἐν τοῖς ἀπόστολοις, non esse de Christi siue vita siue virtute in seruandis Apostolis capienda, postea docebimus, quo ipso appetitur neque hic de alterutra re Paullum dixisse. Enimuero nec significatio futurae resurrectionis inesse in illis verbis potest; nam quo modo sibi mortem, Corinthiis illam beatam vitam tribueret, a qua profecto se non magis quam Corinthios alienum putabat? Quamquam et ipse hymnus Davidis CXVI, cuius verba recitat v. 13, adiuuat sententiam nostram, certe et maxima Davidis pericula narrat et Deum a paratissimo praefidio laudat. Porro quid est illud quod Apostolus v. 16 conqueratur *exteriorem hominem* i. e. corpus suum corrupti (διαφθείρει) quam commemoratio malorum quibus se iactatum videbat? vicissim quid illa *interioris hominis* s. animi *renovatio*, quam recreatio animi et quasi roboratio per confidentiam et spem positam in Deo, natam illam et confirmatam perpetua e summis malis liberatione? vbi de sua vita aut potius ζωοποίησει perspicue loquitur Paullus, nec ibi futurus ad vitam immortalem redditus in mentem cuiquam venit nec per verba venire potest. Postremo nihil clarius est istis verbis v. 15, si quidem ista cum superioribus, maxime cum loco simili cap. I, 9 — 11, diligenter conferantur. Quamuis enim interpretes, si a BEZA et paucis aliis discesseritis, magno consensu versum 14 referant ad futuram mortuorum resurrectionem: tamen nec eius interpretationis necessitatem agnoscimus, nec, si agnosceretur, consequens esset ut versus post decimum quintus illi accommodari deberet. Namque poterat Deus dici ἐγέλειν τὸν Ἀπόστολον cum illum seruaret inter pericula viuum, plane ut apud Iacobum c. V, 15, quo sensu Paullus imitatur Ebraeorum רצח Rom. VIII, 17, vbi item de Pharaonis conseruatione inter lethiferas plagas adhibetur; neque in loco simili 2 Cor. I, 9. Deus haec tenus dicitur ἐγέλειν τοὺς νεκροὺς quod sit proprie mortuos reuocaturus ad vitam immortalem, sed quatenus, inquit Paullus v. 10, ἐν τηλικότερᾳ θαύματα ἔργονται οἵματα καὶ δύτεις καὶ ἔπιρυσται. Item-

❧      ♣      ❧

Itemque illud παραστήσει ἡμῶν σὺν ὑμῖν poterit esse: viuos nos seruabit quem ad modum vos, ut Paullus i Cor. III, 8. ἡμεῖς δὲν συμβασίλευσωμεν, inquit, vobiscum regnabimus i.e. in pari vobiscum fortuna versabimur. Sed sit ita sane: verba illa v. 14, de quibus disputatio erat suscepta, habere significationem futurae resurrectionis mortuorum, nihil id quidem contra nos. Etenim οὐχέτι, beneficium v. 15, haud dubie est conseruatio Paulli in viuis, cuius ipsius beneficii fructum percipiebat Corinthii, ut planissime docet locus is 2 Cor. I, 11, quo nullus aliis magis nostri similis esse potest. Haec χάρις πλεονάσουσα dicitur propter ea, quod semper morti obiectus Paullus (v. 11.) semper se vidisset diuina gratia sustentatum ἵνα διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περιστεύσῃ (αὕτη οὐχέτι) εἰς τὴν δόξαν τῷ Θεῷ, ut hoc beneficium vehementer s. magis magisque illustret gloriam Dei eo quod quam plurimi super ea re *gratias agant Deo*; quamquam nec contra dicemus, si quis cum ERASMO et aliis maller illa διὰ τῶν πλειόνων ad participium πλεονάσουσα referre, et verbo περιστεύει adiungere significationem transitivam hoc sensu: *ut hoc beneficium auctum propter plures h. e.* siue commodum plurimorum siue preces, augent quoque gratiarum actionem, ad honorem Dei; quod fere magis cum illo loco capituli primi consentit. Quomodo cunque sit, οὐχέτι beneficium est quod Paullo e periculis erepto, per eumque Corinthiis, contigerat; ex quo fit, ut verba illa: Τὰ γὰρ πάντα διά ἡμᾶς nullo modo possint cum versu 14. coniungi, si quidem ibi de beneficio futurae resurrectionis, non de liberatione e periculis, loquitur, neque, quod HEVMANNVS aliique volebant, τὰ πάντα ad fiduciam animi v. 13 referri, qua inflammatum erat Paulli studium Euangelii libere propagandi; neque enim verba consentiunt quae sequuntur: Ήν οὐχέτι et certa, quae ipse HEVMANNVS non negat Paulli e periculis erectionem celebrare. Qua re nihil relinquitur, nisi vt, versu 13 et 14. per parenthesin a ceteris sciuncto, versus 15 cum v. 12. et superioribus coniungatur. Quod rogamus lectores meminerint, nam ea observatione postea vtemur; hic quidem per illam demonstratam coniunctionem volebamus efficere, *vitam Iesu* v. 10 et 11, nisi de Paullo cum Christo periculis extricato, intelligi non posse. Ceterum hac ipsa demonstratio-

❧ ❧ ❧

ne aliae interpretationes, quarum supra mentionem iniecimus, ita vanitatis arguantur, ut eas copiosius conuellere superuacuum videatur.

Reliquum est, vt de verbis disputemus v. 12: Ὅτε δὲ μὲν θάρατος  
ἐν ἡμῖν ἐνεγκέπειται, οὐδὲ ζωὴν ἐν ἡμῖν, a quibus facile erit obscuritatem abstergere per ea quibus nobis aditum ad veram sententiam cognoscendam fecimus. *Principio* speramus omnes nobis datus esse hoc, quod θάρατος, vt in superioribus, complectatur impetus et pericula in quae coniecta fuerat Apostoli vita; quare per vim disiunctionis ζωὴ notionem continet vacuitatis a periculis, sive quis non incurrat in ista discrimina siue iis liberetur; quod ipsum argumento est *vitam* non pro illa spirituali, h.e. pro fide ac pietate dici, quod multis videtur quorum nomina HEYMANNVS p. 225. adnumerat, qui addere poterat PHOTIVM in OECVM ENII catena p. 629. Sed ista liberatio a periculis contigerat ipsi Paullo, per ea quae diximus ad v. 10 et 11, e quibus cum ipsam illam, quam declarare volumus, sententiam ducat, cogitur τὴν ζωὴν h. l. eodem modo intelligi debere. Nam eti sunt qui vel *Christi* vitam intelligent hoc fere sensu: Christum viuentem spem dare Corinthiis, fore vt et isti per eum olim ad vitam immortalem ducantur, quod quidem volebat vir magnus (*Cogitt. in N. F. locos* p. 198 seq.), vel laetas res *Corinthiorum*, qui, vt Paullus iactabatur aduersis, sic ipsi secundis rebus fruebantur, id quod iam *CHRYSOSTOMO* placuerat, post etiam aliis quam plurimis: *illa* interpretatione nihil potest durius esse, praesertim cum τὴν ζωὴν τῇ Ἰησῷ v. 10 et 11. demonstrauerimus Christi ipsius non esse; *haec* probabilius est, sed tamen verba ad ipsius Pauli vitam & conservationem commodius trahuntur, certe et superioribus Pauli verbis accommodatior est sensus et iis quae sequuntur. *Nam* si verum est id, quod speramus nos supra planum fecisse, versum 15 coniungi cum 12. debere, atque τὴν χάριν ibi commemoratam beneficium esse quod Paullo e periculis erepto contigerit: profecto Paulli pericula, quae sunt in versu nostro θάρατος, quatenus ea disiunguntur a prospera Corinthiorum fortuna, beneficii loco haberi non poterant; itemque, si istud beneficium multorum laudibus ad Deum referendis illustrandum explicari oportet e loco 2 Cor. I, 11, propter summam vtriusque loci simili-

¶

similitudinem; perspicuum est, vt in vtroque loco, sic v. 12. aliam vitam, praeter Paulli illam, intelligi nullo modo debere. Quod si quis ita occurrat, vt neget hunc sensum ferri posse per legem disunctionis, quae mortem *Paullo*, vitam *Corinthiis* tribuat: recte hoc quidem dicitur, sed minime contra nos non negantes istius legis vim sed illam in ipsis his verbis, vt quidem opinamur, tenentes. Nempe illud ἐνεργεῖσθαι, quod nobis planissime videtur substitutum pro verbo θαυμάζειν in superioribus versibus, vt est verbum medium h. e. in vtramque partem interpretandum, pro antithetorum diuersitate diuersam notionem, vnam damni, alteram emolumenti, complectitur; tum, quoniam pericula Paulli non illi soli nocebant sed etiam Corinthiis quodam modo, quamquam illi magis, vicissim eius conseruatio in periculis non solis Corinthiis proderat sed item Paullo ipsis, quamquam illi eius vberiores fructus capiebant: comparandi sensu verbum accipiendum videtur aut, si mauultis, cum praecepui siue decribenti siue emolumenti emphasi. Quibus positis talis nasceretur sensus: *qua re fit, vt cum mortis periculis iactamur, id nobis magis obfit, sed cum liberamur istis, id vobis magis profit;* aut brevius: *quare mortis quidem (nostrae) fructus in nobis, sed vitae (nostrae) in vobis cernitur.* Videlis nihil acuminis antithetorum periisse; est quidem nostri loci sensus similis illius Phil. I, 21. quem viri docti dudum obseruarunt ita declarandum esse: *dum viuo, ad Christum (h. e. ad Christi doctrinam,) dum morior, ad me praecipiūs fructus redit.* Proderat autem Paullus, dum viueret, Corinthiis, non modo haec tenus, quod eius e tot periculis extracti exemplo in simili fortuna disserent fidere Deo seque praesentissimi eius auxilii et liberationis spe in omni genere periculorum erigere, 2 Cor. I, 4 seq. sed etiam iis confirmandis Euangeliisque latius propagando. Quem in sensum plerique interpres consentiunt, quamquam vitam non Paulli sed ipsorum Corinthiorum interpretantur.

Sed haec haec tenus. Nos vero, HUMANISSIMI CIVES, admoniti his verbis et exemplo Paulli, qui pericula sua mortem Christi, vitam suam in maximorum malorum discrimine a Deo seruatam, vitam Christi, propter similitudinem appellabat, contueamur in primis DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM e morte in vitam, quasi libe-

❧      ♣      ❧

rali causa, assertum, τὸς πίσεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, principem fidei nostrae et renumeratorem. Atque ut duo sunt rerum aduersarum genera, unum quod extrinsecus accedit a rebus sua natura peritris, alterum idque longe grauius intus in nobis ipsis quod a virtutis proficiscitur nostris et εὐπερισάτῳ σπουδῇ, vt Paullus loquitur Ebr. XII; illud, quamquam imbecillitati nostrae molestissimum, discamus moderate ferre, crebro diligenterque cogitantes: horum tolerantiam viam esse vnicam, quam Deus praescripsit, perueniendi ad illam gloriam Christi, cui si cupimus in laetis similes esse rebus, simus etiam in aduersis. Qua quidem in reagno scamus mortem ac resurrectionem Iesu Christi perfectum esse exemplar spei nobis propositae, vt, quem ad modum omnino nostrum est, quidquid sua morte Christus parauerit, ita et nostrum praesidium putemus illud, quod Christum Deus in longe grauioribus periculis sustentauit, leuavit, eripuit, praesidium exspectandum a DEO, qui si pro nobis est, quis contra nos? Nihil quidem huius generis, quantumcunque sit, eripere nobis DEI beniuolentiam poterit. Sed hoc magis reformidemus alterum illud interius, natum ex animi nostri virtutate, quam siue sequamur siue feramus, DEO sanctissimo gratioſi non possumus esse. Hoc igitur malum omni studio, precibus, exercitatione frangamus, nec dubitemus IESVM CHRISTVM, qui vim peccatorum vniuersam doctrina, exemplo, morte etiam sua, contrivit, nobis virtute sua omnibus virtutis longe superiori semper praefato futurum. Hoc cogitate, ad hoc contendite in uitati hoc beneficio, cuius memoriam per hos dies celebramus, vt, eundem cum Christo animum induentes, eadem et inter acerbissimos huius vitae casus et post mortem laeti cum Christo fortuna fruamini, gratias semper agentes DEO, qui nobis victoriam dedit per Dominum nostrum Iesum Christum.

---

P. P. pridie sollemnitatis Paschal. A. C. MDCCCLXXI.

---

00 A 6312



SK

Rubro ✓





B.I.G.

PRORECTOR  
ACADEMIAE HALENSIS  
**IO. SALOMO SEMLER**  
SS. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLCVS ORDINARIVS.  
SEMINARII REGII THEOLOGICI DIRECTOR.  
REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVMNORVM  
EPHORVS.  
CVM  
DIRECTORE ET SENATV ACADEMICO  
MEMORIAM REDITVS IESV CHRISTI  
E MORTVIS  
RELIGIOSE CELEBRANDAM INDICIT.

ADIVNCTA EST BREVIS DISPVTATIO  
AD LOCVM  
2 Cor. III, 10 seqq.



## HALAH

EXCVDEBAT FRID. AVG. GRVNERT.